

Pena sive punicio A

Illa est pena peccati iustissima ut amittat unusquisque illud quo bene uti noluit, cum sine ulla difficultate posset si vellet, id est ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit, et qui rectum facere cum posset noluit amittat posse cum velit.

Augustinus libro 3. de libero arbitrio.

Pena sive punicio B

Iussisti, Domine, et sic est ut pena sit tibi omnia inordinatus animus.

Augustinus libro 1. confessionum.

Pena sive punicio C

Mitissima omnium penarum erit eorum qui preter peccatum quod originale traxerunt nullum insuper addiderunt.

Augustinus in encheridion capitulo 95.

Pena sive punicio D

Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum.

Augustinus de utilitate agende penitencie.

Pena sive punicio E

Sicut non impediunt iustum ab eterna vita quedam peccata venialia sine quibus vita ista non geritur, sic ad salutem eternam nichil prosunt impio aliqua bona opera sine quibus difficili me vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur.

Augustinus in libro de sentenciis Prosperi.

Pena sive punicio F

Qui in aliud seculum distulit fructum conversionis, prius purgatur igne purgationis hic ignis et si non eternus, miro tamen modo gravis est, superat enim omnem penam quam homo umquam passus est in hac vita vel pati potest.

Augustinus in sermone de igne purgatorio et ponitur 25. distinctione.

Pena sive punicio G

Qui pro aliquo gravi crimine morte multatur, numquid in horam qua occiditur que brevis est, legem existimant etiam non quod eum in sempiternum auferant de societate vivencium.

Augustinus 21. de civitate Dei.

Pena sive punicio H

In presenti quidem vita delectationes temporales dulces sunt, et tribulationes amare, sed quis non bibat tribulationis poculum metuens ignem infernalem. Aut quis non contemnat delectationem seculi, inhians vite eterne.

Augustinus in quodam sermone.

Pena sive punicio I

Cui dubium quin inter tres peccatores immo impios, gentilem hereticum ecclesiasticum multo maioribus penis dignus sit qui maioris fuerit dignitatis.

Hieronymus super Ezechielem.

Pena sive punicio K

Tanto rectius maiori supplicio dignum iudicaverim animum, quanto viciis subdit instrumenta virtutum.

Augustinus in quadam epistola.

Pena sive punicio L

Electos Dei cernimus et pia agere et crudelia tolerare; hinc ergo colligitur, districtus iudex quanta illic feriat districtione quos reprobat, si hic cruciat quos amat.

Gregorius libro 9. moralium.

Pena sive punicio M

Sicut uno sole omnes tanguntur, nec tamen sub eo uno ordine omnes estuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur eciam pondus caloris. Sic damnatis una est gehenna que affligit, et tamen non omnes uno calore comburit, quia quod hic agit dispar validudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.

Ibidem.

Pena sive punicio N

Ad districti iudicii iusticiam pertinet ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato et nullus detur iniquo terminus ulcionis, quia quamdiu valuit habere, noluit terminum criminis.

Gregorius libro 30. moralium.

Pena sive punicio O

Nemo Dei longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iusticiam in iudicio exiget, quanto longiorem ante iudicium pacienciam prorogavit.

Gregorius homelia 13. super ewangelium: Sint lumbi vestri precincti.

Pena sive punicio P

Altissimus enim est paciens redditor, paciens dicitur quia peccata hominum et paciatur et reddit, nam quos diu ut convertantur tolerat non conversos durius damnat.

Ibidem.

Pena sive punicio Q

Anima illic posita bene esse perdidit et esse non perdidit, ex qua re semper cogitur ut et mortem sine morte et defectum sine defectu et finem sine fine paciatur, quatenus ei et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus.

Gregorius libro 4. dialogorum.

Pena sive punicio R

Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare, ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, quia numquam definunt peccare dum vivunt. Ad magnam igitur iudicantis iusticiam pertinet ut numquam careant supplicio quia in hac vita numquam voverunt carere peccato.

Gregorius ibidem.

Pena sive punicio S

Iniustus quisque eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur, transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, imparvencione damnabitur et quasi per amena prata ad carcerem pervenit qui per presentis vite prospera ad interitum tendit.

Gregorius libro 6. moralium.

Pena sive punicio T

Pena presens que iniusti animam a pravis desideriis mutat ab eternis suppliciis non liberat quos mutat, nam quem presencia mala non corrigunt ad sequencia perducunt.

Gregorius libro 15. moralium.

Pena sive punicio U

Iustum est ut quos culpa simul inquinat, par eciam pena astringat, et qui nequaquam dispari sunt iniquitate polluti, nequaquam tormento crucientur dispari, quatenus simul damnatio conterat quos similis elacio sublevabat.

Gregorius libro 9. moralium.

Pena sive punicio X

Horrendo modo sit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. Mors perimit et non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit.

Gregorius ibidem.

Pena sive punicio Y

Ob hoc inflexibilis et obstinate mentis malum punitur eternaliter, licet temporaliter perpetratum quia quod breve fuit tempore vel opere longum esse constat in pertinaci voluntate ita ut si numquam moriretur, numquam velle peccare desineret, immo semper vivere vellet ut semper peccare posset.

Bernardus in epistola 252.

Pena sive punicio Z

Quid tam penale, quam semper velle quod numquam erit et semper nolle quod numquam non erit.

Bernardus de consideracione.

Pena sive punicio AB

Iustus est enim iniustum iuste evadere quam iustum iniuste punire quia reus et si semel evaserit, potest iterum perire innocens autem si semel perierit, iam non potest revocari.

Chrysostomus super Mattheum capitulo 1.

Pena sive punicio AC

Novi quod plurimi solam pertimescant gehennam; ego autem illius glorie amissionem multo amarius quam ipsius gehenne dico esse supplicium horribile valde quis ponit gehennas, nisi tale dicturus est quale est a beate illius glorie honore expelli et esse exosum Christo.

Chrysostomus super illud Matthei 6: Excidetur et in ignem.

Pena sive punicio AD

Quis putas tunc meror erit, que tristitia cum sparabuntur impii a consorcio sanctorum et a visione Dei et traditi in potestate demonum ibunt cum ipsis in ignem eternum, ibique semper erunt sine fine in luctu et gemitu ubi erit dolor intolerabilis, fetor incorporabilis, tumor horribilis, mors corporis et anime, sine spe venie et misericordie, ubi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur, sed sic morientur ut semper vivant et sic vivent ut semper moriantur.

Hugo libro 1. de anima.

Pena sive punicio AE

Iuste puniuntur qui licitis abutuntur, iustus vero puniuntur qui aliena rapere conantur, sic Satanas celum, sic protoplaustus perdidit paradisum.

Hugo libro 2. de anima.

Pena sive punicio AF

Occultam culpam sequitur aperta percussio ut malis exterioribus interna puniantur et cor publice corruat et latenter peccabat.

Cassiodorus super Psalmum: Dixit insipiens et cetera.

Pena sive punicio AG

Improbis autem pena statuenda est, nec vero minor his qui secuti erunt alterum quam his qui fuerint impietatis duces.

Tullius de amicicia.

Pena sive punicio AH

Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira et tarditatem supplicii gravitate pensat.

Valerius libro 1. de memoralibus dictis.

Pena sive punicio AI

Satis penarum est potuisse puniri, gravis tamen pena est quem post facti penitet.

Seneca in proverbiiis.